



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi  
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

*vers. sicutor. tamen*, loquens in charitativo subsidio, ad quod præstandum ille, qui beneficium dimiserat, tenebatur, decidens, possessorem esse cogendum solvere, vel antiquum possessorem, ut magis Episcopos placebit. His etiam confert, quod tenuit Feder. de Sen. in cons. 81. quem refert, & sequitur Card. in clem. 1. q. 11. de cens. ubi inquit, esse in facultate creditoris pro oneribus præteritis incumbentibus beneficio, vel agere contra novum possessorem beneficij, vel contra antiquum possessorem, qui fructus percepit, & illis perceptis beneficium dimisit, & Anchata post alios in c. cum homines. in vers. tertio quarto. de deci. tenet, quod si quis pluribus annis non persolvit decimam de prædio, demum illud vendit, quod erit in electione creditoris decimorum convenire pro præteritis decimis emptorem, vel venditorem, quibus argumentis satis probatur, esse in electione creditoris agere ad pensiones contra obligatum, vel possessorem, aut hæredem possessoris, ut tenet Gig. ead. tract. de pens. q. 39. n. 11. & 12. & hæc quæstio, quæ tempore Cassad. ob illius maximas difficultates pendebat indecisa, ut testatur idem Cassad. in decis. 4. n. 3. de loc. & conduct. & tempore Gig. ut, & ipse testatur in d. q. 39. n. 13 fuit coram Blanchetto, tunc Rotæ Auditore, & nunc S. R. E. Card. in una causa Hispanen. pensionis, de mensie Decemb. 1577. decisa, & firmatum *¶* successorem in beneficio ad pensiones decursas tempore antecessoris non teneri, nisi facta eum prædecessore, vel ejus hæreditibus diligentia de illis consequendis. Contra successorem autem in beneficio executive procedi potest, & contra hæredem, non, nisi via ordinaria, & juris ordine servato, ut per Gig. ead. qu. 39. num. 13.

Casu autem, quo pensiones reservari contingat super distributionibus quotidianijs, prout quotidie reservantur, super quibus tamen non præsumuntur reservari, 4† nisi expressis verbis id fuerit concessum, ut per Monet. in tract. de distrib. quest. par. 3. q. 8. n. 11. quas Papa sine dubio potest reservare, ut post Rot. & alios citatos tenet idem Mon. ead. q. 8. n. 9. tunc vacante canonico, & præbenda eod. onere pensionis gravatis, † licet optetur præbenda, nihilominus titulatis ratione emolumenti distributionum quotidianarum, quas jure tituli superlucratur, pro rata ad pensionis solutionem concurrere tenetur, ex deductis per Rot. decis. 2. de testam. in antiq.

Contra agentem ad solutionem pensionis † plures exceptiones opponi possunt.

Primo enim opponi potest defectus jurisdictionis, quia prohibitus excipere, adhuc excipere potest de incompetencia judicis. gloss. fin. in clem. unic. de sequest. poss. & fruct. & Fely. in c. pastoralis. n. 12. de except. † quia defectus jurisdictionis potest etiam opponi contra tres sententias conformes, quæ exceptio opponi potest, † etiam si partes ante sententiam expresse consenserint, quod incompetens sententiarerit, & jurassent, non dicere de nullitate sententiae, ut post Felyn. ubi supra Angel. & Phi. de Perul. in cap. dilecti. qu. 50. & 52. de appell. trad. Purpur. in l. eum qui jubet. n. 14. ff. de jurisd. omn. jud.

In primis, & ante omnia † debet constare de jurisdictione, c. cum in jure. de off. deleg. & propterea licet contra tres sententias conformes non possit opponi aliqua exceptio, donec plenarie fuerint executioni demandatae, clem. ut calumnijs, de re jud. potest tamen opponi exceptio nullitatis

ex



ex defectu jurisdictionis, ut per d. glossam in cle. unic. Abb. in d. cle. ut calumnia. numer. 11. & Staphil. in tract. de commiss. & lit. just. §. in primū. nu. 36. 37. & 38. & Gig. de pens. qu. ult. n. 20.

- 60 Regulariter executio litterarum reservationis pensionum † committitur locorum ordinariis, vel aliis in dignitate ecclesiastica constitutis, & si pensionarius litteras reservationis pensionis praetenderet alteri, quam in eisdem pro executoribus nominatis, cujuscunque qualitatis, & conditionis, † etiam si legati, vel Nuncij Apostolici forent, defectu jurisdictionis eorum sententiae vitio nullitatis subjacerent, quia in prima instantia nullam habent jurisdictionem, obstante sacri concilij Tridentini disposit. ut cap. 20. §. legati quoque, Iess. 24.
- 61 † nec vigore delegationis, quae facta in unam personam, in aliam sine subdelegatione transferri non potest.

- 62 Secundò, potest opponi † exceptio grandinis, sterilitatis, & siccitatis, qua de causa, si aliquo anno quis non percipit fructus, ad solutionem pensionis non tenetur, ut post alios, quos citat, tener Felyn. in c. ad audienciam. 2. num. 7. de rescript. quae exceptio militabit in pensionibus impositis sine clausulis exemptionum, sed, si in reservatione apponatur clausula, quod sit immunitus, libera, & exempta ab omni subsidio, tam ordinario, quam extraordinario, decima Papali, & quod solvi debeat quo-cunque casu fortuito non obstante, etiam grandinis, siccitatis, sterilitatis, depopulationis agrorum, incursus hostium, & cum similibus, & amplioribus clausulis de stylo Romanæ curiæ apponi solitus, sub obligatione camerale, cum derogatione regulæ de praestando consensu, tunc pensio semper

integra persolvi debet, quia cum à communiter accidentibus, precedentibus, & sequentibus annis uberes fructus percipiuntur, sterilitas cum ubertate compensatur, l. licet. C. locat. c. ip. propter sterilitatem. eod. tit. & Rot. in noviss. par. 1. decis. 757. num 3.

Ideo non possunt ecclesiarum beneficiati allegare sterilitatem temporis, nec incursum hostium, ut per glossam in cap. ratione enim, 12. quest. 2. Felyn. in d. cap. ad audienciam, num. 7. vers. pro quo, & Gig. de pens. qu. 62. nu. 7. & contra obligationem cameralem dicta exceptio non admittitur, sed si instrumentum est liquidum, possunt opponi tantum tres exceptiones, † videlicet, falsitatis, quietationis, & solutionis, de quibus per Bart. in l. 1. §. parvi resert nu. 3. f. quod vi, aut clam. Cassad. decis. unic. de mut. petit. nu. 2. & interminis Galef. in tract. ad form. camerale. obligat. ad 4. part. claus. qu. 1. numer. 2.

Dantur tamen casus, quibus, † licet regulariter dicta exceptio non admittatur, in Signatura gratiæ Papa ex causa admittit exceptiones, quia illa obligatio adeo fortiter ligat propter vinculum juramenti, quo renunciatur etiam beneficio absolutionis, sub pena perjurii, sed quia juramentum, quo quis ligatur, persolvere pensionem excessivam, aut alias invalide positam, eset vinculum iniquitatis. Papæ auctoritate omnia juramenta illicita possunt irritari, & auctoritatem, 1. §. qu. 6. & etiam à juramento licto absolvere potest, cap. alius. & cap. nos, ead. qu. 6.

66 Tertiè exceptio † compensationis opponi potest, quae habet vim solutionis, l. si debitor, circa fin. ff. qui pot. in pig. habebat. Bart. in l. amplius non peti numer. 8. ff. rem.

